illis civitatibus habitabant judæi permixti cum gentilibus, ut patet ex locis citatis. Unde etiam synagogæ, quæ ibi erant, non appellabantur synagogæ gentilium, sed judæorum: Act. XIII, 5: «Cum venissent Salaminam, præ«dicabant verbum Dei in synagogis judæorum:» et c. XIV, 1: «Factum est autem Iconii, ut simul introirent in «synagogam judæorum:» et c. XVII, 1: «Venerunt Thes«salonicam, ubi erat synagoga judæorum.»

43. Quæres 6. An omnes synagogæ ædificatæ fuerint à solis judæis? Respondeo: Non omnes: nam etiam gentiles, qui benè affecti erant erga judæos, solebant synagogas pro illis struere. Habemus exemplum in Centurione, de quo seniores judæorum ad Christum, Lucæ VII, 4: «Dignus est, ut hoc illi præstes: Diligit enim gentem «nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.»

EPILOGUS HUJUS CAPITIS.

44. Hic obiter notandum est instrumenta divini cultus, de quibus actum est hactenùs, fuisse magni momenti apud Deum et homines. Quod ex triplici capite colligi potest: Primò ex parte ipsius Dei. Nam ipse speciatim mandavit fieri Tabernaculum, Arcam, Propitiatorium, et alia instrumenta, quæ recensuimus. Secundò ex parte judæorum, qui fuerunt valdè prompti ac liberales in faciendis expensis quæ ad fabricam erant necessariæ: Exod. XXXV, 20: «Egressa omnis multitudo «filiorum Israel de conspectu Moysis, obtulerunt mente «promptissima atque devota primitias Domino, ad fa«ciendum opus Tabernaculi testimonii. Quidquid ad «cultum, et ad vestes sanctas necessarium erat, viri «cum mulieribus præbuerunt, armillas, et inaures, an«nulos, et dextralia, etc.» Tertiò ex parte gentilium, qui et ipsi ex instinctu Dei multa conferebant ad promovendum Dei cultum, ut Cyrus rex persarum, de quo 1 Esdræ I, 2: «Hæc dicit Cyrus rex persarum: omnia «regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præ«cepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ «est in Judæa.» Et Seleucus rex Asiæ, ac alii vicini reges de quibus 2 Machab. III, 1: «Igitur cum sancta civi«tas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime «custodirentur propter Oniæ Pontificis pietatem; fiebat «ut et ipsi reges, et principes locum summo honore dig«num ducerent, et templum maximis muneribus illustra«rent: ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus præstaret «omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinen«tes.» Hic discant christiani Pontifices, reges, subditi, quid sui officii sit in promovendo Dei cultu. Pontifices imitentur Oniam in pietate: reges Cyrum et Seleucum in liberalitate: subditi populum israeliticum in conferendis libenter expensis. Nisi hoc faciant, eveniet ipsis, quod judæis, quando defecerunt à cultu Dei, contigit. Jerusalem eversa est, Templum incendio conflagravit, omnes in captivitatem abducti sunt.

CAPUT XIII.

DE SACRIFICIIS MOSAICIS.

—

1. Sacrificia Mosaica tripliciter dividi possunt: 1. Ratione materiæ: 2. Ratione formæ et finis: 3. Ratione temporis. Et quidem ratione materiæ dividuntur in victimas, oblationes et libamenta. Ratione formæ ac finis in holocausta, hostias pacificas, et hostias pro peccato. Ratione temporis in juge sacrificium, quod quotidie, et in sacrificium agni paschalis, quod in Paschate, et in alia sacrificia, quæ in aliis solemnitatibus offerebantur. De quibus dicam hoc ordine: 1. De victimis, immolationibus et libaminibus: 2. De holocaustis, hostiis pro peccato: 3. De jugi sacrificio: 4. De agno paschali: 5. De sacrificiis aliarum solemnitatum: 6. De igne, quo utebantur Sacerdotes in sacrificiis: 7. Addam aliquid de sacrificio novi Testamenti, quod per sacrificia Mosaica fuit præfiguratum.

DE VICTIMIS, IMMOLATIONIBUS ET LIBAMENTIS.

2. Igitur ratione materiæ triplicia erant sacrificia Mosaica: 1. Victimæ seu hostiæ: 2. Immolationes: 3. Li-

bamenta. Erat enim triplex materia à Deo designata, quæ in judæorum sacrificiis offerri poterat ac debebat. Primò animalia : ut oves, capræ, hœdi, boves, vituli, columbæ, passeres, turtures. Secundò fructus terræ : ut panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium et triticum. Tertiò liquores, ut sanguis, vinum, oleum, aqua. Nec aliquid his ampliùs. Cum ergo fiebat sacrificium ex animalibus, vocabatur hostia seu victima : cum ex fructibus terræ, immolatio : cum ex liquoribus, libamen seu libamentum.

3. Erat autem diversus modus offerendi in hoc triplici rerum genere. Nam animalia offerebantur mactatione et combustione : fructus terræ immutatione : liquores effusione. Porrò illa immutatio fructuum erat etiam varia. Nam panis in frusta dissecabatur : simila sartagine, clibano, vel craticula coquebatur : sal urebatur, thus adolebatur : manipulus spicarum torrebatur : triticum conterebatur.

4. Hic quæri potest, cur non alia animalia, nec alios fructus, nec alios liquores licuerit offerre in sacrificiis Mosaicis, quam quæ jam numerata sunt? Ratio dubitandi est, quia præter illa sunt alia multo præstantiora. Optima autem quæque Deo offerenda sunt. Hinc sacrificium Abelis fuit Deo gratum, non autem Cain : quia Abel obtulit de primogenitis animalium : Cain verò, non de primitiis frugum, sed de communibus frugibus. Respondeo : In hac re debet nobis sufficere voluntas Dei, qui in lege Mosaica sic voluit et ordinavit. Nec tamen desunt rationabiles causæ, cur id factum sit, de quibus videri potest D. Th. in 1. 2. q. 102 et 103.

DE HOLOCAUSTO, SACRIFICIO PRO PECCATO ET HOSTIA PACIFICA.

5. Ratione formæ ac finis erat etiam triplex sacrificium in lege Mosaica : 1. Holocaustum : 2. Sacrificium pro peccato : 3. Hostia pacifica. Vide D. Th. 1. 2. qu. 102, art. 2 ad 8.

6. Holocaustum erat sacrificium perfectissimum, quia in eo tota res oblata comburebatur, et in fumum resoluta, sursùm ad Deum ascendebat : ita ut nihil inde cederet in usum humanum. Per hoc enim perfectissimè designabatur omnia esse ipsius Dei, et omnia ad ipsius honorem referenda. Et in hunc finem erat potissimum institutum hoc genus sacrificii : tametsi interdum etiam pro peccato populi et Sacerdotum offerri poterat.

7. Sacrificium pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. Per hoc significabatur (ut notat D. Thomas) quod expiatio peccatorum fiat quidem à Deo, sed per ministerium Sacerdotum. Solebant autem offerri pro peccatis quibusdam externis, et pro peccatis commissis per ignorantiam vel negligentiam circa cæremonias legis : (Levit. IV et V.) Item pro peccato furti, perjurii, calumniæ : (Levit. V et VII.) Porrò, sicut diversa erant peccata, et diversæ personæ, quæ peccabant ; ita etiam diversa erant sacrificia pro peccato. Aliud enim offerebatur pro perjurio, aliud pro aliis peccatis. Similiter aliud pro Pontifice, aliud pro rege, aliud pro synagoga, aliud pro privatis hominibus.

8. Hostia pacifica poterat ex duplici titulo offerri : 1. In gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis : 2. Ad nova beneficia à Deo impetranda. Dividebatur autem in tres partes, quarum una comburebatur ad honorem Dei : altera cedebat in usum Sacerdotum : tertia in usum offerentium. Per hoc significabatur, quod salus hominis procedat à Deo per directionem Sacerdotum, et cooperationem illius, qui salvatur.

9. Ab hac divisione, quæ jam explicata est, parùm differt illa, qua sacrificium dividitur in Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium et Propitiatorium. Latreuticum dicitur, quod solùm fit ad Deum colendum, testando ejus principatum, et nostram servitutem seu subjectionem. Hoc potissimum fit holocausto. Eucharisticum dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Impetratorium pro beneficiis accipiendis. Utrumque in veteri lege dicebatur *hostia pacifica*. Propitiatorium est, quod offertur pro peccatis, et pro peccatorum pœnis ac flagellis avertendis. Hoc idem est, quod sacrificium pro peccato.

10. Adhuc tria notanda sunt ex D. Thoma, q. 102, art. 3 ad 8 et 10. Unum est, quod si conferamus hæc sacrificia Mosaica inter se ratione sanctitatis et præstantiæ primum locum obtineat holocaustum, secundum hostia pro peccato, tertium hostia pacifica pro beneficio accepto, quartum hostia pacifica pro beneficio accipiendo. Ratio est, quia hæc sacrificia instituta sunt ad cultum et honorem Dei : ergo quò major vel minor est obligatio colendi Deum, eò major vel minor dignitas est sacrificii, quo illum colimus. Obligamur autem hoc ordine : 1. Propter infinitam ipsius majestatem : 2. Propter offensam in ipsum commissam : 3. Propter accepta beneficia : 4. Propter sperata beneficia. Ergo juxta hunc ordinem primo loco censeri debet holocaustum, secundo hostia pro peccato, tertio hostia pacifica pro beneficio accepto, quarto hostia pacifica pro beneficio accipiendo. Idem ordo dignitatis colligi potest ex parte ipsius sacrificii. Nam holocaustum totum comburebatur in honorem Dei, cætera non item: ergo ex hac parte cæteris præstantius. Hostia pro peccato partim cremabatur ad honorem Dei, partim comedebatur, sed à solis Sacerdotibus, non à populo : et in solo atrio, non alibi : et ipso die sacrificii, non alio. Hostia pacifica pro beneficio accepto partim cremabatur ad honorem Dei, in quo erat pars hostiæ pro peccato: partim comedebatur, non tamen à solis Sacerdotibus, sed etiam à populo : nec in solo atrio, sed ubique in Jerusalem, et in hoc erat inferior. Hostia pacifica pro impetrando beneficio poterat comedi non solùm à populo, et extra atrium; sed etiam extra diem sacrificii. Poterat enim conservari in sequentem diem : et in hoc erat infra sanctitatem hostiæ pro beneficio accepto.

11. Alterum est, quod tametsi carnes victimarum sæpè venirent in usum Sacerdotum et populi, ut jam dictum est, nunquam tamen sanguis, aut adeps. Nam sanguis, effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei; adeps verò adurebatur igne. Hujus rei varias assignat causas D. Thomas. Vide infrà cap. 15, num. 12 et sequentibus.

12. Tertium est, quod tametsi pro diversitate peccatorum diversa fuerint instituta sacrificia, non tamen servabatur illa proportio, ut quò majus esset peccatum, eò

præstantior esset res oblata in sacrificio; sed contrà potius, quò majus esset peccatum, eò vilior species animalis offerebatur, ut ex Rabbi Moyse notavit D. Th. Nam capra, quod est vilissimum animal, offerebatur pro idololatria, quod est gravissimum peccatum. Pro ignorantia verò Sacerdotis offerebatur vitulus; pro negligentia Principis hircus. (Levit. IV, et seqq.)

DE JUGI SACRIFICIO, QUOD QUOTIDIE OFFEREBATUR.

13. Judæi ex præcepto divino jubebantur quotidie offerre duos agnos anniculos, et immaculatos in holocaustum : alterum mane, et alterum vespere. Et cum illis similam conspersam oleo, et vinum pro libamine. Hæc autem oblatio vocabatur *juge sacrificium*, vel *holocaustum sempiternum*, quia quotidie fiebat, et nunquam intermittebatur. Sic legimus Exodi XXIX, 38 : «Hoc est, quod «facies in altari ; agnos anniculos duos per singulos dies «jugiter, unum agnum mane, et alterum vespere, deci«mam partem similæ conspersæ oleo fuso, quod habeat «mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum «ejusdem mensuræ in agno uno. Alterum verò agnum «offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, et «juxta ea, quæ diximus, in odorem suavitatis. Sacrificium «est Domino oblatione perpetua in generationes vestras «ad ostium Tabernaculi Testimonii coram Domino, ubi «constituam, ut loquar ad te.» Et Num. XXVIII, 3: «Hæc «sunt sacrificia, quæ offerre debetis : Agnos anniculos «immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiter«num : unum offeretis mane, et alterum ad vesperam.»

14. Hoc juge sacrificium veteris Testamenti fuit figura sacrificii Missæ in novo Testamento. Primò ratione rei oblatæ. Nam sicut in illo offerebatur agnus immaculatus: ita in hoc offertur Christus, qui est agnus sine macula, Joann. I, 29 : «Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata «mundi.» Secundò ratione loci. Sicut ille offerebatur in Tabernaculo : ita hic in Ecclesia. Tertiò ratione durationis. Sicut ille offerebatur quotidie, ita Christus offertur quotidie. Unde etiam apud Danielem cap. XII, 11 vocatur «juge sacrificium.» Quartò ratione determinationis

temporis. Sicut ille offerebatur mane et vespere; ita Christus à principio mundi usque ad finem: Apocalyps. XIII, 8: «Agnus qui occisus est ab origine mundi.» Non quidem re ipsa, sed per energiam. Quintò ratione adjuncti. Sicut ille offerebatur cum simila et vino; ita Christus quotidie offertur sub specie panis et vini.

DE AGNO PASCHALI.

15. Hoc sacrificium agni paschalis à Deo institutum est paulò ante egressum filiorum Israel ex Ægypto, ac primo celebratum pridie egressionis ad vesperam cum mandato, ut posteà singulis annis, primo mensi anni, die 14 mensis ad vesperam repeteretur. Quod, an semper factum sit, posteà videbimus. Ad majorem illius notitiam hæc breviter examinanda sunt: 1. Qualis debuerit esse agnus: 2. An pro agno licuerit aliud animal immolare: 3. Quo tempore immolandus fuerit agnus: 4. Quo loco: 5. Quo ritu: 6. Quinam potuerint ex illo comedere: 7. In quem finem institutum sit hoc sacrificium agni: 8. Quoties celebratum à judæis.

16. Est ergo prima quæstio, qualis debuerit esse agnus? Respondeo: Debuit habere tres conditiones: 1 esse masculus: 2 anniculus, seu unius tantum anni: 3 sine macula, id est, sanus et integer, non morbidus aut vitiosus. Hoc patet ex illo Exodi XII, 3: «Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.» Quæ autem maculæ, seu vitia arcerent quodcumque animal à sacrificio, explicat Moyses Levitici XXII, 21 his verbis: «Homo, qui obtulerit victimam, tàm de bobus, quàm de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: Omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.»

17. Altera quæstio est, an pro agno licuerit aliud animal immolare? Respondeo: Non licuit aliud immolare, nisi hœdum, qui similiter debebat esse masculus, anniculus et sine macula. Sic enim legimus Exodi XII, 5:

«Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis et hœdum.» Objici potest illud Deut. XVI, 2: «Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus et bobus.» Ergo præter agnum et hœdum licebat etiam bovem aut vitulum immolare. Respondeo: Nomen Phase dupliciter sumi solet. Primò propriè ac strictè pro agno paschali, qui immolabatur decimo quarto die mensis primi ad vesperam. Et hoc sensu non licebat pro agno immolare aliud animal, nisi hœdum, ut dictum est. Secundò impropriè et latè pro hostiis pacificis, quæ durante solemnitate paschali, offerebantur in diebus azymorum, qui sequebantur vesperam et immolationem agni paschalis. Hujusmodi autem hostiæ poterant sumi etiam ex bobus. Et hoc sensu intelligitur, quod allatum est ex Deuter. Vide quæ scripta sunt Num. XXVIII, 16. Unde patet, tàm agnum paschalem, quàm cæteras victimas illius solemnitatis vocare Phase in Scriptura. Hinc facilè explicatur illud Joan. XVIII, 28: «Erat autem mane, et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.» Ubi per Pascha non intelligitur agnus paschalis, quem judæi pridie ad vesperam comederant, sed victimæ pacificæ, quæ sequentibus azymorum diebus comedi solebant, non tamen nisi à mundis et purificatis.

18. Tertia quæstio est, quo tempore immolandus fuerit agnus? Respondeo: Die decimoquarto mensis primi ad vesperam. Sic enim præceperat Deus Exod. XII, 3: «Decimà die tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Hoc præceptum, quo ad posteriorem partem, semper servatum est. Nam hebræi, non solùm in Ægypto ante egressionem, sed etiam posteà in monte Sinai et alibi, solebant immolare agnum paschalem die decimoquarto mensis primi ad vesperam. Excipio unum casum. Nam si eo die immundi essent, poterat differri usque ad diem decimumquartum sequentis mensis: quod aliquando etiam factum est. Prior pars difficultatem habet. Nam aliqui putant judæos nunquam, nisi in Ægypto, jussos fuisse quærere agnum die decima,

quem posteà immolarent die decimaquarta ad vesperam; sed unicuique liberum fuisse, ut quæreret, quo die vellet. Ita Abulens. in cap. XII Exod. quæst. 4, Ribera lib. 5 de templo cap. 3 et nonnulli alii. Et duplex illorum ratio est: Una, quia posteà, quotiescumque fit mentio immolationis agni, nunquam repetitur illa pars præcepti de die decimo, quo debebat quæri agnus; sed solùm altera pars de die decimoquarto, quo debebat immolari. Ergo signum est, quod illa pars de die decimo non obligaverit, nisi in Ægypto. Altera, quia erant legitimæ causæ, cur in Ægypto debuerint agnum priùs quærere et præparare, quam veniret dies immolationis: quæ tamen causæ posteà locum non habuerunt. Erant autem hæ: 1. Quia sciebant se post paucos dies egressuros esse ex Ægypto, et ideò erant valdè occupati circa ea paranda, quæ ad futuram profectionem putabantur esse necessaria. Ne ergo propter hanc occupationem obliviscerentur agni paschalis, jussi sunt tempestivè illum quærere et præparare. 2. Ut tanto plus temporis haberent ad explorandum, an agnus esset talis, qualis ex præscripto Dei requirebatur, nempè anniculus, sine macula. 3. Ut illis diebus quibus agnus asservabatur, ex ipsius aspectu et balatu facilius cogitarent de futura liberatione ex Ægypto.

19. Neutra ratio videtur convincere. Non prior, quia etiam posteà, quotiescumque fit mentio immolationis agni, nunquam repetitur illa pars præcepti, quod deberet comedi cum capite, pedibus et intestinis. Et tamen ita fieri oportebat. Nec posterior, quia illæ tres causæ non magnoperè urgent. Imò prima, et tertia non cohærent inter se. Nam si in futuram profectionem ita intenti erant israelitæ, ut periculum esset, ne obliviscerentur agni paschalis; quid necesse fuit, ut ex aspectu et balatu agni reducerentur in recordationem futuræ profectionis? Secunda nihil efficit. Cur enim in Ægypto indigebant certis diebus ad explorandum, an agnus esset anniculus, masculus et sine macula, si posteà non indigebant? an minus cauti et solertes erant in Ægypto, quam extra Ægyptum? Non video, cur id asseramus.

20. Quarta quæstio est, quo loco immolandus fuerit agnus paschalis? Respondeo: Distinguenda sunt quatuor

tempora: primum egressionis ex Ægypto: secundum peregrinationis in deserto: tertium ingressus in Judæam: quartum habitationis in Judæa. Igitur, cum adhuc in Ægypto essent hebræi, singuli patresfamilias in sua domo jubebantur immolare, et comedere agnum: (Exod. XII.) At tempore peregrinationis immolarunt et comederunt in deserto Sinai: (Numer. IX, 1.) Porrò in ingressu in Judæam post transitum Jordanis in campestribus Jerico: (Josue V, 10.) Denique tempore habitationis in Judæa nusquam licebat id facere, nisi in illo loco, ubi esset Tabernaculum juxta illud Deut. XVI, 5: «Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas «Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco, quem «elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: «immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando «egressus es de Ægypto.» Locus autem, in quo habitavit nomen Domini, fuit varius temporibus. Primò Galgala: secundò Silo: tertiò Nobe: quartò Gabaon: quintò Jerusalem, ædificato templo Salomonis. Et hæc causa est, cur sæpè in sacris litteris fiat mentio eorum, qui tempore paschali Jerosolymam ascendebant, ut 2 Paralipomenon XXX, 1; Lucæ II, 41 et alibi.

21. Quinta quæstio est, quo ritu coquendus et comedendus fuerit agnus? Respondeo: In prima immolatione, quæ in Ægypto contigit, servatus est hic ritus et ordo: 1. Mactabatur agnus, et sanguis ejus ponebatur super utroque poste januæ, et super liminari domus, in qua edendus erat. 2. Excoriabatur, diffindebatur et eluebatur. 3. Assabatur igne. 4. Assatus comedebatur cum capite, pedibus et intestinis. Adhibebantur azymi panes cum lactucis agrestibus. 6. Nihil ex eo licebat conservare in sequentem diem, sed si quid residuum fuisset, igne comburendum erat. 7. Qui illum comesturi erant, debebant accincti esse renibus, calceati, baculum manibus gestantes, festinantes. Vide Exod. XII. Duo hic quæri solent: 1. An hæc omnia sint etiam servata? 2. An judæi comedentes agnum, debuerint stare, an sedere? Nihil certi de utroque.

22. Sexta quæstio est, quinam poterint comedere de agno paschali? Respondeo: Soli judæi, non autem alie-

nigenæ, nisi priùs essent circumcisi: (Exod. XII, 43.) Et ratio est, quia circumcisio erat figura Baptismi, et agnus paschalis, sacrificii Eucharistiæ. Sicut ergo in novo Testamento nemo potest esse particeps sacrificii Eucharistiæ, nisi sit baptizatus; ita in veteri Testamento nemo poterat edere de agno paschali, nisi esset circumcisus. Sed an omnes circumcisi possent? Certum est immundos non potuisse. Unde si qui judæi, vel alienigenæ circumcisi, eo die, quo ordinario immolabatur agnus paschalis, immundi fuissent, debebant priùs mundari, et expectare usque ad diem decimum quartum sequentis mensis, sicut factum est Num. IX, 6, et 2 Paralip. XXX, 15.

23. Septima quæstio est, in quem finem institutum fuerit hoc sacrificium agni? Respondeo: In duplicem finem: Primò in memoriam illius beneficii, quod judæi consecuti sunt ea nocte, quæ secuta est immolationem agni paschalis in Ægypto. Tunc enim Deus percussit omnia primogenita Ægypti, intactis primogenitis judæorum, et liberavit judæos à servitute Pharaonis. Secundò in typum et figuram Christi, qui tanquam agnus innocens immolandus et occidendus erat pro humano genere. De priori fine intelligitur illud Exod. XII, 14: «Habebitis «hanc diem in monumentum, et celebrabitis eam solem«nem Domino in generationibus vestris cultu sempiter«no.» Et v. 26: «Et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ «est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini «est, quando transivit super domos filiorum Israel in «Ægypto, percutiens ægyptios, et domos nostras libe«rans.» De posteriori loquitur Apostolus 1 Corint. V, 7: «Pascha nostrum immolatus est Christus.» Duo autem spectanda sunt in agno: 1. Immolatio, quæ erat figura Christi in cruce immolandi: 2. Comestio, quæ erat figura Christi in ultima cœna comedendi sub specie panis et vini. Prior figura in his consistit: Primò sicut per immolationem agni paschalis, et per aspersionem sanguinis ejus super postes et liminaria liberati sunt israelitæ à captivitate Pharaonis, et ab Angelo percutiente: sic per immolationem Christi in cruce, et per effusionem sanguinis illius liberatum est genus humanum à servitute peccati et diaboli. Secundò, sicut agnus vespere immo-

latus est; sic Christus in fine sæculorum mortuus est pro nobis. Tertiò, sicut agnus immolabatur à tota multitudine populi Israelitici; sic Christus morti addictus est, clamante tota judæorum multitudine: *Crucifige, crucifige*. Quartò, sicut agnus erat masculus, anniculus et sine macula; sic Christus in patiendo fortis, in flore ætatis et sine ullo peccato. Quintò, sicut os non confringebatur in agno; sic Christi crura in cruce non sunt fracta; quod expressit Evangelista Joannes XIX, 33. Sextò, sicut pro agno poterat hœdus subrogari; sic Christus, tametsi agnus esset, tamen inter iniquos, id est inter hœdos reputatus est. Et sicut hœdus solet esse victima pro peccatis; sic Christus pro peccatis totius mundi oblatus est. Hinc etiam Jacob patriarca hœdinis pellibus obvolutus fuit, ut Christum præfiguraret. Posterior figura consistit in his: Primò sicut agnus fuit comestus à judæis; sic Christus in Eucharistia comeditur à christianis. Secundò, sicut ille à solis judæis et circumcisis, et in sola civitate Jerusalem; ita hic à solis christianis, et baptizatis, in sola Ecclesia. Tertiò, sicut ille assatus igne corporali; ita hic assatus igne charitatis. Quartò, sicut ille cum azymis panibus, et lactucis agrestibus; ita hic cum magna puritate, et dolore de peccatis. Quintò, sicut ille cum capite, pedibus et intestinis; ita hic cum divinitate, et humanitate, latente sub specie panis et vini. Denique, sicut ille à judæis succinctis et peregrinantibus ad terram promissionis: ita hic à christianis properantibus ad cœlestem patriam.

24. Octava quæstio est, quoties à judæis celebratum sit Pascha? Respondeo: Constat ex Scriptura, et sæpè celebratum, et sæpè omissum esse. Ac primò celebratum est in egressu ex Ægypto: (Exod. XII, 8.) Secundò in deserto Sinai, anno secundo egressionis: (Num. IX, 1.) Tertiò in campestribus Jerico: (Josue V, 10.) Quartò in Jerusalem sub Ezechia rege: (2 Paralipom. XXX, 1.) Quintò in Jerusalem sub Josia rege: (4 Reg. XXIII, 21, et 2 Paral. XXXV, 1.) Sextò post reditum ex captivitate Babylonica in Jerusalem: (1 Esdr. VI, 19.) Septimò tempore Christi et Apostolorum: (Mat. XXVI, 17.) Omissum autem est primo, toto tempore peregrinationis, exceptis